

V 9
7012





QK. 218. 2

V
g
7012

ANNVS IVBILÆVS
MISNIÆ A CALVI
NISMO REPVRGATÆ,

VNIVERSIS ET

SINGVLIS, VT PVRAM,

sic veram Lutheranam (vt vocant) fi

dei Confessionem amplectentibus, Do

minis, Meccenatibus, patronis

suis & amicis officiosè

obseruandis

Consecratus

à

M. Georgio Henrici Bischoffuuer
densi Misniæ, Not. Pub.



D R E S D Æ,
Excudebat Matthæus Stœckel.

M. D. XCIII.





VOs, quibus est curæ studium purumq; **LV**THERI
Dogma pia magni religione sequi:
Vos, quibus est odio, secum raptura sub orcum
Dira animas, modò quam protulit ipse, lues:
Accipite hæc animis patriæ noua iubila gentis,
Dogmate Caluini, quæ, fugiente, canit.
Sic, vbi pestis abit, cœlumq; serenior aura
Temperat, est nullus, qui fuit antè, timor.
VERBA MANENT DOMINI, firmo fundamine CHRISTO:
Vis hominum fati imperiosa ruit.

M. Georgius Henrici
Bischoffuuerdensis,
Not. Pub.



Ionides Musæ, paulò meliora canamus
Tempora præsentis (scripto DEVS
annuat) anni.

Non ego vos, patriæ quibus imperio
sa potestas

Nuper erat breuis, atq; minor prudentia CHRISTO,
Deiectos ratione viros, imploro patronos,
Sed vos lactantes pueri, infantesq; puellæ,
Turba DEI laudes, nomenq; referre parata,
Hunc hilares lætum mecum cantabitis annum.
DVX FRIDERICE faue, iuuenemq; tuere poëtam,
Ipsius vt facilis per te sit gratia Musæ.

Annua nunc iterum nati cunabula CHRISTI
Dum colimus, dios pueri renouamus honores,
Scilicet vt gemina persona nexus in vna
Naturæ sit ei, consors hominisq; Deiq;
Omnia quo terris operetur, & omnia cælo.
Hunc benè nosse salus; posito hoc fundamine, constat
Nixa fides, ruit hoc omnis malè fulta reuulso.

Flexibiles ergo mentes, auidasq; nouorum
Ne trahat in dubias fidei sententia partes,
Diuinum designat opus confessio normam,
Quam terræ terror CÆSAR grauis ipse probabat
CAROLVS inuictam: quam non fulgore minarum
Pontificum poterant validæ expugnare phalanges.
Hic modus, hæc fidei species, testataq; regni
Regula doctrinæ, Roma quod ducitur vrbe,
Nata voluminibus sacrís, certissima vatum
Progenies, pia quam, serum ventura sub orbem,
Posteritas CHRISTI colet æternumq; tenebit.

A 2

Et

Et quid adhuc dubitem libri diuina referre
Dogmata, quæ dira nuper contraria peste
Hæresis infecit CALVINI, inducta per vrbes
Misniacas, patriam secum raptura sub orcum,
Ni DEVS atq; DVCIS pietas infringeret ausus?

I. Est vnum sanctæ TRIADOS venerabile numen
Persona triplici, genitor, flatusq; sacratus,
Et media hos inter, patris certissima proles,
Diuinum, DEVS ipse, & inenarrabile VERBUM,
Omnia quo constant cœli terræq; creata,
Vna quibus, sine principio, sine fine, potestas.

II. Omnes infectum scelus, ob commissa parentum,
Ingenitasq; homines trahimus cum semine pestes,
Supplicium meritas Erebi, nisi FLAMEN & vnda,
Eluerent mirè geminæ contagia labis.

III. Ergo corporeos artus, moribundaq; matre
Virgine membra trahens serui sub imagine, verus
Ipse DEVS, patris æterni indubitata propago,
CHRISTVS homo, multo patiens in vulnere multa,
De cruce suspensus, nostra hæc mala morte peremit,
Nec tamen idcirco minor est ipsi inde potestas,
Omnis at in cœlo, terris data desuper omnis.

IIII. Hinc sceleris nostri, veterisq; remissio culpæ
Arripienda fide, CHRISTI quæ firmiter actis
Stet meritis, operum nostro non fixa labore.

V. Ista ministerio VERBI, dupliciq; sacrorum
Pectoribus specie existit, cœlestibus auris
Numine eis agitante, hæc per mysteria, flammam,

VI. Pulchra fidem morum probitas, vitæq; gerendæ
Insequitur pietas, corpus velut vmbra diurna

Ad fo

Ad solem positum, atq; arbor fert optima fructus,
Nec tamen ipsa affert merito veniam atq; salutem,
Sola nisi in CHRISTI fuerit fiducia lethum.

Gens sacra Christiadum VERBI virtute, sacriscq; VII.
Ritibus assurgit, semper certissima toto,
Parua licet, mundo, humanis neq; legibus apta.

Néue sacerdotes quamuis aræq; ministri VIII.
Sint reprobi, ipsa ministerij diffusa per aures,
Intra animos, minor est, diuina potentia lapsa.

Gratia tanta subest sacri baptismatis vnda, IX.
Infantes vt ea acceptos reddente, dicatis
CHRISTO, operata ferat fidei coniuncta salutem.

Exhibet in cæna CHRISTVS sub pane meroq; X.
Ipse suum præfens corpus, verumq; cruorem,
Omnipotens, verax idem, & sapientia dixit.

Christicolæ seruanda gregi confessio culpæ: XI.
Cuncta tamen (quis cuncta potest?) commissa referre
Crimina, non opus est adeò penitusq; necesse.

Fonte sacro lotus, veteris vestigia culpæ XII.
Si relegat, veniam toties tamen ille, professus
Crimen, habet, vitæ quoties pertæsus iniquæ,
Et CHRISTI meritis fîsus, meliora probabit.

Sacrorum gemini ritus mysteria, cætus XIII.
Quis sit Christiadum, signant, qua sede moretur,
In nos quæq; DEI patris sit amica voluntas,
Testantur, firmantq; fidem, tales data ad vsus.

Nulli fas sacri cathedris insistere templi, XIII.
Docturo populum, rituscq; adhibere sacrorum,
Publica ad hæc fuerit nisi munia ritè vocatus,

A 3

Temploꝝ

- XV. Templorum varij mores, hominumq; docti
Iura modo, ordinibus festis distincta diebus,
Vel maneant, animi stimulo cessante, vel absint?
At quæ pontificum statuunt inuenta salutem
Pro merito, merito absistunt CHRISTI, irrita VERBO.
- XVI. Ordo magistratus, quo non magis vtilis vllus,
Munere concessus superum mortalibus, æqua
Res vt eos inter Themidos ratione ministret,
Fas regere imperio, pacataq; reddere iura,
Christicolæ, dignasq; malis indicere pœnas,
Contrahere emptorum precio commercia, casto
Connubij vinclo, sociam sibi iungere lecti.
- XVII. Luce sub extrema CHRISTVS rediturus olympi
Sedibus, æthereas omnes reuocabit in auras,
Morte datos tumulis, vitasq; & crimina discens
Iudicium sine lite feret, sibi nempè dicatos
Elysium, reprobos iussurus adire Gœennam.
- XVIII. Arbitrij stat in humanis sua cuiq; potestas,
Ducere seu statuatur, monitu virtutis, honestè
Moribus ingenuam, aut turpi malè nomine, vitam,
At non diuinis eadem sententia nobis
In rebus, proprio ductu, pietatis amore
Iussa DEI veneranda sequi & benè fidere CHRISTO,
Præstet in afflatis nisi idem sacra numinis aura.
- XIX. Velle suum cuiusq; malum, & peruersa cupido
Criminis est genetrix, redigens nisi Gratia mentes
In melius, vetitos, diuina, coërceat ausus.
- XX. In CHRISTVM, modò firma, fides, satis vna saluti,
Vis neq; tanta operum, ruit at fiducia vana:
Ipsa tamen præstanda DEI testantia laudem

Rité

Ritè secuta fidem, sacro duce & auspice flatur.

Sanctorum memoranda quidem celebrandaq; vita, XXI.

In nos ipsorum vt manent exempla minores
Constantis fidei CHRISTO, fugiendaq; monstrent:

At non pro meritis in vota precesq; vocandi

Auxilio miseris ipsi, cum morte perempti

Humanas nequeant audire & nosce querelas,

Vnus is humano generi qui reitituit rem

CHRISTVS, qui causas orans hominesq; Deumq;

Inter, se paci medium iustissimus offert.

Vtraq; mandato CHRISTI (inviolabile factu) XXII.

Et vili vulgo species, aræq; ministris,

Saluificæ cœnæ, nullo discrimine, detur.

Iure sacerdotes sacro sibi fœdera quærant XXIII.

Coniugij, priscos pariter concessa per annos,

Ne turpes lasciuia Venus meditetur amores,

Alliciatq; thori vetitos inuadere lectos.

Omne malum nobis, commissaq; morte, piacula, XXIII.

Vnius excedunt CHRISTI, neq; victima tantas

Vlla alia, aut præstant Missæ solennia vires,

Murmure sacrifici tacito, miroq; videntis

Aspectu, ob precium, manibus variata supinis,

Nec manes opus hoc Orco reuocare profundo,

Atq; locare polo, viuosq; iuuare valebit.

Turpe nefas, culpæ venia nisi ritè petita, XXV.

Grande ministerium cœnæ, & sacra fœdera adire,

Nomine nec tamen illa suo memoranda seorsim.

Gratia nulla, dapis posito discrimine cultus XXVI.

Diuini sequitur, nec enim nunc, lege refixa,

Polluit ora cibus, vitæ concessus in usum;

Grata

Grata DEO scelerum puri ieiunia cordis.
Conueniant naturæ epulæ (paruo aptior illa,
Quàm nimio) turpis dubia ne crapula mensa,
Et pietatis opus votis inhibere gerendis
Discat, & obducens nebulam temulentia menti,
Muneris officium renuat statione relicta.

XXVII. Forma cuculligeri fratris, diuersaq; cætus
Virginei species, claustris habitantis opacis
Nomine Diuorum sacris, sub imagine cultus,
Inuentum est hominum fallax, & inutilis ordo,
Spurcitie plenus, sacra quem nec pagina castum,
(Exiguus numero cælebs sine coniuge vita)
Nec probat humanæ legis data regula iustum.

XXVIII. Non ea sacrorum vis est permessa Dynastæ,
Ferre nouos cultus mores, noua condere eorum
Iura, magistratusq; sibi transcribere fasces,
Regna quibus constant, regum est diuina potestas,
Legibus imperium regere, & de more parentis
Parcere subiectis, aræq; fouere ministros.
Sacra sacerdotes, tractent regalia Reges.

Hæc Augustanæ fidei confessio, sacris
Fixa voluminibus, scriptisq; simillima patrum,
Auspicioq; Ducis FRIDERICI inducta IOHANNIS,
Magnamimo patriæ Doctore & vate LVTHERO,
Lustra duo & dena ac ternos seruata per annos,
Semper & ipsa licet furijs, agitataq; semper
Ictibus, hæreseos foret intensissima turbæ,
Nequicquam tentata tamen, frustra q; procellis,
Fluctibus & pelagi tantis immota resistens,
Usq; reluctando patrijs accreuit in oris.

Hanc

Hanc pia posteritas, MYSIÆ dum rura colonus
Accolet, & rapidi præterfluet Albidos vnda,
Almaq; pax fuerit, tenet æternumq; tenebit.

Non mihi si nunc ora forent ter mille, referre
Plurima conanti, totidemq; sub oribus aptæ
Eloquio linguæ, calamiq; notare parati,
Omnia librorum percurrere nomina possem,
Extera quos tellus patrias emisit in vrbes,
Nostra quibus traheret lectis infecta ruinam
Religio, stygij vis tanta inimica Tyranni.

Sit mihi fas (pius ardor agit) memorare virorum
Dogmata, quos fidei quondam meliora professos,
Impia peruertit sententia nuper, honorum
Mutatos stimulis, vana ratione tumentes,
Ad scelus allectos aulæ spe diuite & auro.
Eloquar an sileam, motos logica arte furores,
Horrendumq; nefas? animus meminisse nefanda,
Gorgonas, harpyiasq; horret, Lemuresq; tremendos,
Sacrilegæ modò summa sequar fastigia sectæ.

Esse potestatem & non enarrabile numen,
Omnia quo cœlo omnipotens agat, omnia terris,
CHRISTO hominiq; Deoq; negant, data dona sed ipsi
Elato ad superos, neq; re, sed nomine tantum,
De CHRISTO quæcunq; docet sacra litera, dici:
Res hominem moderari ipsum, mortalibus oris
Subtractum, populo princeps velut imperat absens:
Non homini fidendum ipsi, neq; vota ferenda:
Quin neq; posse DEO fieri, (execrabile dictu)
CHRISTVS homo simul vt teneat loca corpore plura,
Dira cohors perhibet, stulta ratione monente.

B

Ergo

I.

II.

Ergo nec in coena CHRISTI, sub pane meroq̄,
Præsentis statuunt corpus cum sanguine sumi,
Corporis at speciem, massæ per signa notatam,
Tâm longè distare, polo discrimine quanto
Terra subest, ideoq̄ fide, sublimis in altum
Quæ se extollat, eam, aut ferri benefacta, nec ore,
Néue dari quibus in CHRISTVM fiducia cesseret,
Quàm Cereris tantùm viniq̄ notantia signa.
Non secus ac vires terræ diffundit in oras,
Ipse globo sese voluens super æthera Titan:
Sic neq̄ se coenæ CHRISTVM miscere locatum
Sede, sed absentem dignis opus addere cœlo.

III.

Quid tenebras memorem quas fonti inducere sacro
Impia turba parat, gignens turpissima monstra?
Nulla salus, errore eius, baptismatis vnda
Prouenit aspersis, nec enim cum semine fordes
Ingenitas ducit, sine labe parentibus ipsis
Orta pijs soboles innoxia, criminis expers,
Ipsa nec idcirco iam protinus amne lauanda
Edita sacro, primo sub limine vitæ
Iam moritura iterum, neq̄ tum præsentem ministro:
Hoc nec enim quisquam iam fonte renascitur, ætas
Ni matura, vel & feris quandoq̄ sub annis,
Numine cœlesti sacra renouetur ab aura,
Neuè fides isthoc omnes diuinaq̄ tangunt
Gratia conspersos, nisi quos elegerit isthæc.

Hic nunc Lerna mihi, Hydrarumq̄ teterrimus ordo,
Nascitur, errorum diræ foedissima sectæ
Colluies, imo graueolens Phlegetontis ab amne
Eructans cœnum, MYSIÆ quo tota Mephitim
Terra

Terra trahens, sæua corruptis vndiq; peste
Vrbibus, infectas animas missura sub orcum,
Immeritis caderet pœnis, belloq; cruento,
Vltio ni diuina ausus inhiberet iniquos.

Vt sacra pagina habet, nullo discrimine **CHRISTI** **IIII.**
Morte, negant, omnes redimi, quibus omnis in ipsum
Stat firmata fides, nisi quos elegerit vnus
Ipse **DEVS**: Namq; humani quæ maxima turba
Est generis, pœnis ipsam formasse sub orco
Damnandam, neq; velle **DEVM** transferre sub astra:
At quibus electis superum **DEVS** annuat arcem
Sedibus, hos neq; posse fidem, neq; perdere rursus,
Lumine cœlesti incensos, spirabile numen,
Neûe vel omnigenum, fanda atq; nefanda furentes,
Addictos scelerum formis damnariet vnquam:
Quos minus ipse **DEVS** cœli prædestinat aulæ
Ante alios, flammis ipsos Acherontis oportet
Urgeri, superum nec eis datur ire beatas
Ad sedes, vicibus quamuis vel mille lauentur
Fonte sacro, cœnaq; die quoq; qualibet vsi
Innocuam ducant, vilo sine crimine, vitam.

Organa quid referam, diuinis laudibus apta,
Sacrilega auellanda manu, pictasq; sacrarum
Effigies rerum templi, tabulataq; & aras,
Suggesti cathedras, cultus, funalia, mores,
Vestitus, septem cantus discrimina vocum,
Tentatumq; nefas stygiæ molimine sectæ?

Quod genus hoc hominum, quæ tam nimis impia
Hæresis errores statuit? malè percitus æstro (tales
Quis fuit, horrendum hoc primus qui protulit autor

B 2

Dogma,

Dogma, animæ quo non aliud damnosius vllum
Se extulit in terris, stygio genitore, venentum?
Fallor? an istius descendit origo CHERINTO
Inuentore, DEVM falso qui numine CHRISTVM
Dicebat, maiestatisq; negabat honorem,
Assecla post feros cuius fuit ARRIVS annos?
Ne seriem referam, reuolutaq; tempora sectæ,
Nostra, viros tantum dicam, quæ protulit ætas,
Iamq; solo MYSIÆ profugos iubet hæresis ire.

Pastor erat GENEVÆ, cuius de nomine nomen
Secta trahit, patriæ caluina vocata per vrbes.
Hanc gener indignus, pietate fideq; PHILIPPI
Doctrinaq; grauis, foci mentitus iniquè
Dogma stylo falso, (fuerit nūmque hæresis huius
Hic vir hic assertor, iunctus seu mente LVTHERO,
Scripta docent iam nunc totum vulgata per orbem)
Penè inuexisset MYSIÆ, clam principe terræ
AVGVSTO, DANIAE thalami regalibus, absens
Dum patria, tædis aderat, excussa Lyceo
LEVCORIDOS, fidei sensu documenta sinistro
Sparsurus, medicas artes tamen ille professus.
Senserat at pestem, patriæ iam redditus oris,
Relligione pia princeps pius, ensifer heros,
Semper is AVGVSTVS, nimiumq; fauoris honore
Aulæ, plisnæam, tumidum, detrusit ad arcem,
Edita iam prohibens spargi exemplaria libri.
Hic vbi bisseos tacitus latuisset in annos,
Multa super vinclis meditans, super hærese multa,
Victus eum prece DVX comitis demisit ad urbem
Ascaniæ dominam, sua quò tunc ducta veneno

Illita vindictæ, MYSIÆ missilia tectè
Immisit, faciles socijs factura labores.

Vix parca AVGVSTVM rara pietate potentem
Abstulerat terris, patrijs virtutibus hæres
Accipit imperium felix, grauitate decorum
Heroa, armigerumq; noua formidine clarum.
Præficit is regno, fortem roburq; futurum
Nomine conueniens populi, insigniq; regentis
Ambitione virum CeLEbRem, fama; per vrbes.
CALVINI ille tenax doctrinæ, erroris amantes,
Vendibilis quibus ære fides, & vilior alga,
Pastores populi precio corrumpit & auro,
Dogmatis vt puri iam antiqua & trita professi,
Nunc noua grata sonent, vulgi rationis ad vsum
Apta magis, veterum quæ tunc pertasa, nouorum
Gens MYSIÆ colat applausu fremituq; secundo.

Haud ignota loquor, canit aurum classica, sectæ
Conueniunt tumidi sophiæ logica arte Gigantes,
Congestisq; parant, rationum montibus altis,
Omnipotens cœlum terræ miscere profundæ,
En, ne forte doli vulgus rude sentiat ausus,
Lege cauent fixa, pœnas mortemq; minati,
Principe persuaso, ne quis conuicia pastor
CALVINI ferat in sectam, dirasq; resoluat
Errorum tenebras, & inextricabilis artis
Ambages, cæcasq; strophas, gryphosq; nefandi
Dogmatis ancipites, technas, fraudesq; latentes.

Haud mora, quos aurum poterat neq; gratia diues
Flectere pollicitis (nec enim mens omnibus vna,
Læua leuisq; fides, auro quæ cedere discat)

Protinus ire iubent pulsos, statione relicta,
Urbibus, & fatis alias sibi quærere sedes,

Hinc alios nuper (MIRVM) quos fouerat aula
Relligione graues, patriæ pater, inclytus heros,
Ire sub excelsam scopulis pendentibus arcem:
LEVCOREA hinc alios magnam BRUNONIS ad urbem,
Multos cum fructus temploq; scholaq; tulissent:
Inde, cathedales, alios, ubi præfulis ædes
Stant, HALBERSTADIVM, paruos migrare videres
Corpore, sed scriptis magnos famaq; celebres,
Ire quid hinc alios memorem? quò plena fodinis
Urbs iacet argento diues, speciosa FRIBERGA,
Vndiq; & errantes diuersa per arua, tenellis
Dum comitata pedes (visu lachrimabile) natis
Ponè subit coniunx, voces conquesta gementes:
O AVGVSTE pater, quantum mutandus in orbe
Relligionis honos, postquam te fata tulerunt:
O miseranda dies, status ô mutabilis æui.
Eheu quam patriæ te nunc superesse velimus:
Si quid iustitiæ cœlo, DEVS arbiter æquis
Aspiciet miseros oculis, neq; longius ausus
Hostiles, tantumq; nefas paciatur inultum.
Hei quis tum MYSIÆ status, & lachrimabile tempus?
Quæ patriæ facies? hei hei quod triste periculum
Ciuibus exitij? quam tum crudelis vbiq;
Luctus, vbiq; timor? lachrimas æquare dolentum
Quis matrum tacitæ potuisset imagine mortis,
Intentata viris quæ tum foret, agmine facto
Militis armati patriæ pugnantis ob aras?
At non vltorius passus sæuire superbos

Prò

Pro ratione, DEVS longè sapientior, aulæ
Immutare sciens hominum, secretaq; ridens
Consilia, auxilium filis sibi ferre paratus
More satis miro, iustas exarsit in iras
Ultor, & ipse sibi maiestatemq; genusq;
Diuinum similis nati repetiuit honores,
Omnia in aduersum redigens, discrimine lethi
Principis egregij, qui ne quid tale videret,
Occubuit, tanto moriens in cardine rerum,
Curarum nimio ob patriam dum fluctuat æstu.

Tale quis ad funus trepidam terrore per aulam
Exoritur luctus, procerumq; per intima membra
Frigidus horror abit, mortis qui proxima causa
Consilijs fuerant? quantus concussa per vrbes
Pectora coniuratorum formidine fratrum
Hæresis, extemplò plangor clamoribus implet?
Heu quid agant? piget incæpti, ruit effera nuper
Vis animi, primo malè dum fortuna labori,
Seu DEVS aspirans, diris conatibus obstat.

Nec mora, nec requies, subito turbante tumultu,
Quos melior fidei & constans sententia puræ
Duxerat, hanc propter caput obiectare periculis
Qui semper certi fuerant, statuente senatu
Nobilium patriæ, diro cum sanguine, sectæ
Sacrilegæ autores pœnas expendere poscunt.

Fallor? an hæc eadem prius inde futura notauit
Omine diuino, dictu mirabile factum,
Factum horrendum, ingens, modulo rationis ineptum,
Vrbs iacet, vrbs humilis, VVERDAM quam nos
(mine dicunt
Præsulis,

PRÆSVLIS, illa suo quondam quia præfule digna,
 Indocili generi duris vicina forabis,
 Parua quidem, nullamq; ostentans desuper arcem,
 At foecunda solo, dulci notissima potu,
 Ex Cerere & lupulo, statio gratissima pisci.
 Hic execrandum sectæ quoq; spargere virus,
OPITII post fata senis, qui dogmata primus,
 Exule iam papa, fidei sincera sonabat,
TEVTERVS tentabat, amans nouitatis idipsum
 Vulgus vt imberberet, sed non felicibus æquè
 Venerat is fatis, posita statione remotus.
SPIRITVI sacra lux aderat venerabile festum,
 Iamq; ipsi prima ad populum data copia fandi
 E cathedra fuerat: templi confluxus ad aedes
 Factus erat solito, medioq; oratio cursu,
 Intenti ciues aures atq; ora tenebant:
 Ecce recens quod iam incensum radiabat in ara,
 Concidit, & ternas fractum funale suapte
 In partes, geminos vino iam iamq; repletos
 Sacratæ calices cœnæ, diffundit, in vsum,
 Ipsaq; dum lino fluitat, cerealibus liba
 Proluit, & latè madefacta in frusta resoluit.
 Obstupuit mentem gelida formidine, turba
 Fœminea ad visum, concussa q; pectora planxit,
OPITII conquesta pñ, sub murmure, mortem,
 Omen inest facto: sacra remouendus ab ara
 Atq; ministerio cœnæ, quicumq; negando
 Diuinos homini **CHRISTO** furatur honores.

Et quid adhuc dubitem verbis extendere factum?
 Hæresis autores ipsi, quos conscia tandem

Mens

Mens sceleris stimulis agitat, reuocando fatentur
Errorum cumulos, quàm nunc nec dicta, nec acta,
Inq̄ statum sese vellent vetitosq̄ reponi
Suggestus, an non isthoc leuitatis & alti
Indicium fastus? careant successibus isti
In pœnam, vel ad extremos Garamantas & Afros,
Atq̄ schytas, fatis profugi infelicibus, errent.

Ipsa, sibi laqueo vitam dum finit adacto
Innocuam, coniunx GVNDERMANNI, ipsa marito
Hæreticum testatur opus, crimenq̄ nefandum.

STEINBACHIVS funem turri dum neçtit ab alta,
E vinculis tacitum se dimissurus, at isto
Per medium rumpente, velut procumbit humi bos,
In fossam recidens, aulæ pinguedine crassum
Crus frangit, toto nunc est notissima cœlo
Fama volans, viuo donec sublimia saxo
Mœnia, STOLPENÆ cernentur longius arcis.

Ipsè & abest SALMVTH, sacra qui corruerat auro
Biblia, iam MYSIÆ fines, & foedere iunctas
Æterno patriæ terras, nequissimus exul
Dum fugiens, sectæ socios inquirat amicos.

MARCHIA, quo nunc, diues agris & piscibus aucta,
Ipsa suum reducem excipiet lætissima ciuem
(Ciuis si dici meruit, cum rusticus esset)
Applausu, titulisq̄ nouis, fremituq̄ secundo?
Pagus, huic patria, est Comitibus conterminus vrbi
SCHVVBETH, ibi limes agri, multos seruata per annos
Stat pirus alta, comas arens, spaciolaq̄ ramis.

Dignior hac suspendendus vir ab arbore, nomen
Quâ trahit is, cathedræ quam assidat vt, antè Lutherus

C

Quâ

Quâ docuit Vates mundi, irreparabile Lumen,
Magnanimum scriptis referens in dogmate HELIAM.

Opprobrium vulgo, sedet æternumq; sedebit
CRELLIVS inventor sceleris, non tegmine strato
Quadrupedante vehendus equo, tyrijsq; locandus
Aulæis, aulæ dominus, rerumq; potitus
Consilio, rapidis dignus METII ipse quadrigis.

Ergo repurgato mecum nunc patria cultu
Lætior, atq; statum sibi iam gratata priorem,
Iubila lætitiæq; novam super æthera voluit,
Soluendoq; DEO dignas pro dogmate grates,
Coniungit fuis precibus superaddita vota.

Iubila gens MYSIÆ latè resonantia fundit.
RVTA luem patria viridi rediuvua colore
Depulit, aonijsq; nova succrescit in hortis
Cultura, pulchram folijs fragrantibus herbæ
E cathedris speciem, sacras factura per ades.

Iubila gens MYSIÆ latè resonantia fundit.
Pestis abit, cessit RVTÆ pallente venenum
Aspectu, tristicijs ferens in imagine mortem,
Parturit almus ager, cœli iam purior æther,
Suavia permittas pueris in prata puellas
Emittens, capiti florum dat ferta legenda,
Inq; novos audent tutò se credere soles

Gramina, nec flatum pluviosæ Pampinus Austri
Nunc timet, aut magnis actos Aquilonibus imbres.

Iubila gens MYSIÆ latè resonantia fundit.
RVTA viret, virus serpens aspergere suctus
Occidit, haud tenero fallax nunc amplius herba
Fert triste exitium pecori pecorisq; magistris.

Florenti

Florenti futuræ cytiso distenta bidentes
Vbera lacte domum referunt: armenta Leonem
Non metuunt, tutiç Lupos sub matribus agni.

Iubila gens M Y S I Æ latè resonantia fundit.
Virus abest, error nullus nunc amplius agnos
Fascinat, aut varios mentiri lana colores
Addiscet M Y S I Æ, pecoris D V X ipse virentis
Vestiet in R V T Æ speciem sua vellera, vita
Donec erit: viridem spargent cunabula florem.

Iubila gens M Y S I Æ latè resonantia fundit.
Nunc age pastor ouans lætis A M A R A N T H I D A siluam
Fac resonare sonis, viridi quæ pulchra coronam
E R V T A gestare dedit capiti, ipsa corona
N Y M P H A R V M, decus immortale, & principe digna,
Digna Deum mensa, cœlo dignissima D I V A.

Iubila gens M Y S I Æ latè resonantia fundit.
Cessat hyems, spargit læto tria germina flore
R V T A virens, tutam factura nepotibus umbram,
Per fines patriæ, succos imitantia auitos
Plantæ, iam superum magna ad conuiuia, thuri
Fragranti simili, grato redolentis odore.

Iubila gens M Y S I Æ latè resonantia fundit.
Scepترigeri flores S P R E V Æ nascuntur ad annum,
E planta veteri, fibras albedine sparsa,
Brachia quæ latè mittens radicibus altis
Fixa, almas sese terræ diffundit in vrbes
S A X O N I D O S, fulcrum R V T Æ & tutamina ab hirs
Incurfu rabido, seros factura per annos. (corum

Quas tibi nunc dignè grates, venerabile numen,
Sancte pater, tua gens, tibi quos referamus honores,

179 7012 61
Relligio lue CALVINI purgata quod ardet?
Non opus hoc hominum, duce te sed & auspice, nobis
Pestis abit, cessere minæ, purumq; resurgit
Relligionis opus, tua dum certissima proles
Ipse iubet raptos reddi sibi CHRISTVS honores?
En, quod opis nostræ est, tanto pro munere solam
Offerimus laudem (prohibent nam cætera vires
Humanae) satis hæc grato tibi pectore iuncta,
CHRISTE, cui similis patri diuina potestas,
Cernis vt insultet populi infensissimus hostis
Is tuus atq; tui stygius, stimulosq; furorum
Verterit in MYSIAM, quâ purior exiit olim
Te doctrina, tuas laudes, nomenq; professa.
En, tua res agitur, CALVOS tu disijce fures,
Tu furias cobibe, gentemq; potentior vnus
Ipse tuere tuam, VERBI dissensio mentes
Ne dubias odijs tantum certare, superbos
Pro ratione viros, ferrumq; lacescere tentet.
Pax tegat vtq; lares, RVTÆ concede vigorem,
Germina cum fulcris seruans: pietatis amore
Promeritam, cuius nunquam meminisse minores
Pæniteat, notamq; animo pastoribus æquo,
Viueret Cumeæ da fata AMARANTHIDA Vatis.

Τῷ θεῷ μόνῳ δόξα.

Maxima Gratia Hominum Breuissima.




M

ULB Halle
004 972 465

3





QK. 218. 2

Vg
7012

ANNVS IVBILÆVS
MISNIÆ A CALVI-
NISMO REPVRGATÆ,

VNIVERSIS ET
SINGVLIS, VT PVRAM,
sic veram Lutheranam (vt vocant) fidei
dei Confessionem amplectentibus, Do-
minis, Meccenatibus, patronis
suis & amicis officiosè
obseruandis

Consecratus
à

M. Georgio Henrici Bischoffhuers
densi Misniæ, Not. Pub.



D R E S D Æ,
Excudebat Matthæus Stœckel.

M. D. XCIII.

